



13058.
27

NZ

95.

DISPUTATIO POLITICA
DE
NATURA ET
STATU REIPU-
BLICÆ:

27

16261

QUAM
à se compositam,
DIVINO FAVENTE ET
ADJUVANTE NUMINE,
SUB PRÆSIDIO

Clarissimi & Doctissimi Viri,
DN. MATTHIÆ BER-
NEGGERI, HISTORIARUM IN
inclyta Argentoratensium Univer-
sitate Professoris,

*Publicè discutiendam proponit, & defenden-
dam suscipit,*

ANDREAS PICTETUS
Genevensis.

ARGENTORATI,
Excudebat Wilhelmus Christianus Glaferus,
Academiæ Typographus.

Anno M. DC. XXVI.

9

8



VIRIS
EMINENTISSIMIS,
EXCELLENTISSIMIS, CON-
SULTISSIMIS, ET PRU-
DENTISSIMIS:

DN. DAVIDI COLLADONI, Celeberrimæ Geneven-
sium Reipublicæ Consuli meritissimo, Secretiorisq; Con-
silio Senatori Doctissimo, & longè dignissimo, Affini meo
observandissimo:

DN. JACOBO PICTETO, ejusdem Reipublicæ Consuli,
Secretiorisque Consilii Senatori, Parenti meo omni san-
ctitate, pietate, honore, colendo, filialibusque obsequiis,
& amoribus meritò prosequendo:

DN. JOHANNI GAMBSIO, Inclytæ Argentinensis Rei-
publicæ Senatori & Quindecimviro Excellentissimo,
hospiti meo dilectissimo:

*Nestoribus laudatissimis,
Mecænatibus prestantissimis,
Patronis optatissimis,
Fautoribus Amplissimis,*

Hæc studiorum meorum Politico-
rum tyrocinia & primitias

eâ quâ par est Reverentiâ

Dico

Offero

Consecro

ANDREAS PICTETUS, GENEVENSIS
Auth. & Resp.



PROOEMIUM.

Tanta est tamque admirabilis societatis humanae diversitas, ut, nisi aliquam symmetriam subordinationis, rectisque legibus subjectionis & regiminis temperaretur, confusione suam brevi tempore praestantissimum Orbis opus consumendum esset. Quamvis enim homines naturali instinctu societatem, (sine qua bene vivere homo nequit) ament: tantis tamen infirmitatibus obnoxii sunt, ut facile a recta via aberrent, seque ipsos, nisi regimine & legibus cohibeantur, in baratrum perditionis corporis & animae praecipites dent, & rebus omnibus, dum sibi omnia licere putant, abutantur. Sed Deus Opt. Max, homini, cujus gratiam caetera condidisse dicitur, in hac tam necessariam re nequaquam defuit: quin potius populo suo Reges & Magistratus praefecit, qui ipsius utilitatem & bonum procurarent. Inde Politiae & Respublicae constitutae, quarum necessitas tanta est, ut sine his societas humana subsistere nequeat. Ubi enim forma regiminis nulla est, ibi perpetua discordia, ibi omnia confusa sunt. Cognitis itaque Politiarum & Rerum publicarum utilitatibus, mihi, quasdam theses de natura & statu Reipublicae, exercitii gratiam publice discutiendas proponere in animo fuit. Quia autem inanis esset conatus meus, & frustra susciperetur, nisi divino numine prius invocato; ideo in primis Regem Regum, primumque Reipublicae, omnisque boni

regiminis authorem ardentib. votis precabor', ut huic meo suscepto præesse, suisque divinis favoribus, paternisque gratiis ipsi favere, meque adversus meorum adversariorum tela, scuto suo invincibili benignè protegere velit. Divino auxilio fretus, dominos Politicarum disciplinarum Studiosos submissè, ut, si quid dubii contra hasce theses habeant, me doctissimis suis argumentis amicè exercere dignentur, rogatos volo.

THESIS I.

Antequam de Republica agam, nomen ejus mihi erit expendendum. Dicitur autem ἡ πολιτεία (i. ipsa forma, secundum quam civitas administratur) quæ à Cicerone sæpè Resp. nominatur) ἀπὸ τῆς πόλεως, à Civitate, tanquam uno ex præcipuis objectis, circa quod Prudentia Politica versatur, Hinc ὁ πολίτης civis derivatur, ut & πολιτεύω, civitatem, sive Rempublicam administro, & πολιτικοὶ Civiles. Viri, qui vel artem callent Administrandi Rempublicam, vel Actu in ea administranda versantur. Unde πολιτικαὶ πράξεις, Actiones quæ circa Rempub. occupantur, nec non βίος πολιτικός, vita civilis.

2.

Τῆς πολιτείας autem varias esse significationes, diductè ostendit Plutarchus in libro de tribus Rerump. formis. Mihi duas enumerasse sufficiat, quarum altera est abstracta, altera concreta.

3.

Abstracta est cum vox τῆς πολιτείας capitur pro ordine cœtus publici in genere humano: ut, cum quæro, qualis est Politia Venetiis, nihil aliud volo nisi qualis sit ordo in administranda illa Republica: & sic generaliter accepta dividitur in Civilem & Ecclesiasticam.

4.

Illam est ordo, per quem cœtus humanus administratur & ad honestatem dirigitur. Ista vero spectat cœtum Ecclesie ad Dei

Dei cultum & animarum salutem. *Daneus lib. 1. politica Christiana*
cap. 2. Prior autem significatio propriè huc pertinet.

5.

Notandum interim, Politiam non tantùm sumi pro ordine
& regimine civitatum, sed etiam pro ordine pagorum, oppido-
rum, regionum & nationum integrarū: & sic ea hîc sumitur. La-
tini scriptores promiscuè hanc Politiam Rempub. vocant, item
regimen & statum publicum.

6.

Concreta vocis Politiaè significatio est, cùm sumitur pro
hominum certo loco habitantium, & certo ordine gubernato-
rum sociatione publica: & sic sumpta, Formale, Materiale & Ob-
jectum in quo iste ordo adhæret, designat, ut cùm Politiam Ar-
gentinensem sumo pro ipsa urbe in qua est talis vel talis ordo. *Vi-*
de systema Politicum Keckermanni.

7.

Et hæc de voce τῆς πολιτείας. Nunc agendum esse censeo de
Natura Reipub. quæ cognoscitur partim ex definitione, partim
ex causis. *Timplerus lib. 1. Polit. cap. 2.*

8.

Omniū prudentium consilio à Definitione rei propositæ
tractationis cujusque tela ordianda est. *Bodin. lib. 1. de Repub. cap.*
1. Cicero lib. 1. Officiorum, Kirchnerus Disputatione 1. de Repub. Velle
enim absque definitionibus disputare, nihil aliud est quam sine
fundamentis ædificare. Exordiar igitur à definitione Reipublicæ.

9.

In assignanda ejus definitione Politici inter se non con-
sentiant. Cicero enim Rempub. definit quòd sit Res populi. *ut*
citat Augustinus lib. 2. de Civitate Dei cap. 2. Alii eam definiunt
communitatem hominum & rerum civilium, magistratus Poli-
tici Imperio subjectam, *Timplerus lib. 1. Politic. cap. 2.* Kirchnerus
eam definit per societatem populi legitimo Civilis Potestatis
imperio coalitam *lib. 1. Polit. cap. 1.* Alii tandem eam definiunt
per ordinem multarum familiarum, sive multorum civium uni-
tatem, & rectam ordinationem. *Aristot. 8. Polit. cap. 1. & 4.*

10.

Etsi autem tantorum virorum definitiones nequaquam

A 3

improbem: tamen magis placent definitiones Bodini & Kecker
manni, quorum alter, nempe Bodinus, Remp. definit familiarum
rerumque inter ipsas communium summam potestate ac ratione
moderatam multitudinem, *lib. 1. cap. 1. de Republica*. Alter vero,
nempe Keckermannus, eam definit cœtum ex pluribus familiis
domesticis certo ordine collectum, & ad fœlicitatem publicam
directum. *Vide Systema ejus Politicum*.

11.

Medium inter has duas posteriores Reipub. definitiones
servabo, & Rempub. definiam quod sit cœtus ex pluribus fami-
liis domesticis certo ordine collectus, & certa ratione, ac summa
aliqua potestate ad fœlicitatem publicam moderatus.

12.

In hac definitione duo spectanda veniunt, Materiale
& Formale Reipub. Quia cum Respub. sit collectio quædam
multarum familiarum domesticarum, ideò tanquam de re colle-
ctivâ collectivè agendum est. In themate autem colectivo hæc
duo esse spectanda, Logicis præceptis monemur. *Keckermannus
dicto supra loco*.

13.

Materiale Reipub. sunt familiæ aliquot uno loco colle-
ctæ. Inferimus itaq; unicam vel domum vel familiam nunquam
Remp. constituere, sed plures familias requiri, ad minimum tres,
nec pauciores.

14.

Si ex tribus illis familiis unus paterfamilias cæteris impe-
ret, aut unus duorum imperium subire non recuset, aut tres si-
mul summum jus in illarum familiarum subditos exercent, æ-
què dici poterit Respub. ac si multitudine cives innumerabiles
complecteretur. *Bodinus lib. 1 de Rep. cap. 2.*

15.

Notetur obiter, familiæ unius numerum Reipubl. multi-
tudinem aliquando superare: quod de Tuberonis familia aliqua-
do jactitatum. Sacræ etiam literæ hoc testantur de familia A-
brahami, quæ justum exercitum constituit. Regumq; copias
fudit. *Geneseos cap. 14.* Sed non ideò tamen talis familia est appel-
landa Respub. nam quantitas formam rei non tollit nec majus
&

& minus speciem variat, ut ait Aristoteles.

16.

Hæc de Materiali Reip. Sequitur Formale, quòd sit cœtus certo ordine collectus, & ratione ac summa potestate moderatus ad fœlicitatem publicam. Ordine intelligo non tali qualis est inter numerum & numerum, perinde ac si domus ordine collocatæ constituerent Rempublicam: sed certo ordine Justitiæ, prudentiæ, & aliarum virtutum, sine quo multitudo domorum, ut ut affabrè & concinnè disposita quoad locum & numerum, non est Politia, sed confusio Reipubl. opposita.

17.

Et si igitur latrones & alia genera impiorum hominum interdum domorum & familiarum certo numero dispositarum cœtum habere possint: inter eos tamen nulla est Respubl. quæ ratione moderata esse debet. Atqui inter latrones nullus Rationis & Justitiæ respectus. Ergò nulla Respublica.

18.

Cæterùm ut definitionis datæ membra singula suis ponderibus exigam, suprâ dictum est, Rempub. esse cœtum ex familiis domesticis, ac proinde rebus inter ipsas communibus. Multa enim inter se ejusdem civitatis incolæ habent communia, ut ait Aristoteles, qui duplicem communionem inter Cives admittit, Politicam nempe & Ethicam.

19.

Politicam vocant eam per quam multa bona inter se cives communia habent. Ut sunt forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, suffragia, consuetudines, theatra, mœnia, publica ædificia; pascua communia; agri publici, ærarium, præmia, pœnæ, leges, actiones &c. *Bodinus lib. 1. de Rep. cap. 2.*

20.

Ethicam seu moralem civium communionem vocant eam per quam bonorum & proprietatis & distinctio retinetur, usus vero & fructus eorum efficiuntur communes, quatenus cives alii, aliorum inopiæ & egestati de suis propriis bonis succurrunt, & sic animi sui benevolentiam & beneficentiam erga suos concives declarant.

Alte-

21.

Alterum definitionis Reipub. Membrum erat oportere illam summa aliqua potestate esse moderatam, quia sine hac consistere Respub. nullo modo potest, tanquam non consistens in mœnibus aut in personis, sed in civiũ omnium cœtu, sub ejusdem imperii suprema potestate, quæ omnia civitatis membra familiariaq; singulas in unum corpus cogit.

22.

Quin & sine imperio sive potestate aliqua nec domus ulla, nec hominum ipsum genus, nec rerum natura omnis, nec mundus ipse stare potest, ut ait Cicero. Unde à Lipsio merito fulcrum, firmamentum, vinculum, coagulum, & spiritus vitalis Reipub. dicitur. Illud igitur in bene instituenda Repub. fundamentaliter erit, ut sint qui rectè imperent, & quidam qui bene obtemperent. Cùm fieri non possit, ut in multitudine aliqui sint, qui alios bene regere possint, & aliqui qui egeant regimine. *Vide Tholosanum lib. 1. de Repub. cap. 1.*

23.

Hucusq; de Reipub. definitione: superest ut de ejus origine & progressu, ut & de causis quæ homines ad societatem Politicam colendam incitarunt, paucis agam. Ac primùm de causa Efficiente illius societatis differam.

24.

Missis itaque factis variis authorum veterum de causa efficiente & interna societatis hominum in unam Rempub. sententiis, affirmo & assero, Deum esse hujus societatis primam & efficientem causam. A Deo enim mox à creationis primordio in statu naturæ integræ, in loco terrarum orbis beatissimo, institutum, legibus sancitum, ac benedictione locupletatum hominem videmus. Naturâ etiam homo societatis amans est, ut & animal Politicum, & naturali instinctu in societatem convenit, inquit *Aristoteles 1. Polit. cap. 2. Et 2. Polit.* Omnis civitas, inquit, naturâ consistit, siquidem primæ societates, domesticæ scilicet naturâ consistunt. Illa enim est harum finis.

25.

Ad hanc internam causam movens externa accessit, nempe vitæ commoditas, propter quam homines in societatem conveniunt.

nerunt, & à primis initiis societatem pagorum & oppidorum homo sanxit. *Genes. cap. 2. & 3.*

26.

Prima societas & seminarium Reipub. fuit conjunctio Maris & Fœminæ, nempe Adami & Evæ, à quibus generati sunt reliqui mortales.

27.

Secundam societatem constituerunt parentes & liberi. Deinde mortuis primis parentibus, filiis relictis, singuli cœperunt à se genitos seorsum procurare.

28.

Inde secuta divisio per domos seu familias, in quarum numero continentur filii, servi, ancillæ, ut & clientes, qui se patribus familias vel fide vel fœdere devinzerant, quin & se illis commiserant, & bona ab iis colenda acceperant. Coierunt postea in unum locum plures familiæ, & commoditatis vitæ causâ in eodem loco habitant.

29.

Vicos inde ex domibus vicinalibus conjunctis fecerunt, ex vicis pagos, ex pagis urbes aratro circumscriptas politiori vita institutas. Civibus abundantibus colonos in proximas regiones abduxerunt. unde Colonia dictæ, à quibus deinde aliisque vicinis civitatibus, regna facta sunt, & ex pluribus subditis regnis Imperia.

30.

Hiscæ determinatis, Civitatis partes in simplices & compositas distinguam. Ad simplices refertur societas tum conjugalis, tum paterna, tum herilis. hinc spectentur tum personæ, tum res seu bona, eò quod hæc duo ad familiæ seu domus constitutionem requiruntur.

31.

Compositæ verò sunt tum ipsa domus dictas tres societates complectens, tum pagi vel vici, ex quorum demum consociatione civitas componitur, quæ à philosopho definitur perfecta societas secundum naturam ex pluribus pagis constans, omnibus rebus ad vitam necessariis instructa, & bene vivendi causâ instituta.

B

Cum autem hæ societales, nempe cõjugalis, paterna, quæ sunt Reipub. seminaria, & herilis, sint à natura, (ex appetitu nempe procreante sibi simile, ex amore quo generans generatum, prosequitur,) apparet duas priores esse à natura. Quod tertia, nempe heriles sit à natura patet ex eo quòd Domino, mentem, quantum sibi tum aliis prospicere potest, seruo verò robur ad perferendos labores necessarium natura largita est, cum, inquam, hæ societales sint à Natura, facilè colligi potest homines naturâ ad societatem Politicam fuisse impulsos, ac proinde Reipub. constituendæ rationem ex naturali jure dependere.

Non tamen negamus, propter metum & necessitatem, urbes fuisse extructas, ut homines se ab aliorum injuriis defenderent; Optimè *Danaus lib. 1. Polit. cap. 2.* Ex metu, inquit, prima urbium condendarum origo fuit, sicut ex prima urbe à Caino propter ipsius trepidatione extructa, apparet. *Genes. cap. 4.* sed tamen hinc non sequitur hunc esse principalem finem urbium condendarum, quia Caini trepidatio non facit regulam, quin & ipse *Danaus lib. 1. Polit. Christiana cap. 3.* concludit non alia causam naturæ instinctu & lege divinitus implantata politias esse initio constitutas. Et hæcenus de origine & progressu societatis hominum in unam Rempub. superest ut de Reipub. fine, sive objecto agatur.

Finis Reip. est vel ultimus vel subordinatus. Ille est felicitas terrena hominum in societate viventium: iste est vel principalis vel minus principalis.

Principalis Reipub. finis est partim honesta & tranquilla civium vita, partim veræ religionis, Justitiæque inter homines propagatio.

Minus Principalis est partim pax externa, partim legitima adversus injurias hostium defensio, partim bonorum externorū ad vitam civilem degendam necessariorum sufficientia. *Simplex lib. 1. Polit. cap. 3.*

Finis

37.

Finis etiam Reipublicæ propter quem introducta videtur, idem est ac finis propter quem homo factus est. Siquidem ad bene & fœliciter vivendum, coierunt homines, hominis verò finis, alius non videtur quàm fœlicitas, inquit Tholosanus *lib. 5. cap. 5.* Qua ergo ratione Reipublicæ finis respondet fini unius hominis, eadem ratione effectus finem Reipub. insequens, qui tranquillitas interna Civitatis dicitur, correspondet effectui unius hominis finem comitanti, quem tranquillitatem humanæ conscientia vocant: & sicut tranquillitas animi ad hominem se habet, ita tranquillitas interna sive fœlicitas civium Reipub. respicit.

38.

Nec hoc prætereundum Rerumpub. pro diversa specie diversos esse fines. Regis sive monarchæ finis est conservatio populi, & honor: Optimatû finis est, ut secundum virtutem & honestatem Reipubl. administrant: Imperii Politici specialiter sic dicti finis est virtus, libertas & commune bonum.

39.

Attamen omnes Respub. cujuscunq; generis aut speciei sint, principio videntur in hoc consentire, ut & ad hunc finem & scopum collimare, ut societates ineant ad bene & fœliciter vivendû, id enim est opus & actio propria hominis rationalis.

40.

Hic movetur quæstio, an homo in hoc mundo beatitudinē sive fœlicitatem perfectam assequi possit? Respōdeo, distinguendum esse inter fœlicitatem terrenam & cœlestem, temporalem & æternam, quarum illam homo in hac vita re ipsâ, tametsi rarò sinceram omnique ex parte perfectam, nec sine summa difficultate, consequi potest, hanc vero non nisi in spe. *Timplerus lib. 1. Ethicorum cap. 6.* Hic autem non de cœlesti, sed de terrena fœlicitate loquimur, ad quam homo tendit, ut benè & honestè, ut & pacatè in hoc Mundo vivere possit, & ad eum finem constitutæ sunt Reipublicæ. Tantum de fine Reipublicæ: nunc ejus formæ & species sequuntur.

41.

Nomen Reipublicæ unum est, sed modi administrandi secū-

B 2

8

dum diversam cōstitutionē diversi sunt. Reguntur autē Respub. vel nutu & potestati unius, vel paucorum, vel plurium: & cū hi communem utilitatem tantū spectant, fiunt tres bonæ Rerū-publicarum species. Cū vero, propriam utilitatem tantū procurant, vitiosæ formæ appellantur, sive Rerumpub. vitia.

42.

Imperium igitur civile sive Respublicas distinguemus cū Philosopho in legitimas & aberrantes. quòd illæ sint secundum naturam, hæ verò præter naturam. Ad legitimas formas refertur Regnum, Aristocratia & Politia specialiter sic dicta: ad aberrantes tyrannis, oligarchia & prava democratia. A legitimis initium faciam, & primò de regno sive monarchia agam.

43.

Status Politicus primus & perfectus est is, in quo unus summum imperium in Repub. tenet, & hic status regnum sive monarchia vocatur. Monarchiam voco, cū ille penes quem summa potestas est, vel jure vel injuria imperat: ille Rex, hic tyrannus vocatur.

44.

In specie imperium summum est quod ab uno secundum naturam, rectamq; rationem geritur ad commune Reipublicæ bonum. *Timplexus lib. 5. Politicorum cap. 2.*

45.

Regni ab Aristotele quinq; enumerantur species, nempe Laconicum, Barbaricum, Æsymnetia, heroicum, & plenarium. primum regnum vocat imperium militare, legitimum, perpetuum, & hæreditarium, quale Laconibus usitatum: secundum, nempe Barbaricum, est imperium herile, hæreditarium, & legitimum: tertium, Æsymnetia scilicet, est imperium propè tyrannicum & per suffragia ad aliquem delatum. Heroicum est imperiū, quale fuit heroum temporibus, voluntarium, paternum, & legitimum. plenarium est, in quo unus summam rerum omnium potestatem habet, & suæ administrationis nulli cogitur rationem reddere. *Aristot. lib. 3. Politic. cap. 10. 11. 12.*

46.

Monarchia in specie dicta ab aliis dividitur in perfectiorem & imperfectiorem. Illa est in qua monarcha nullius simpliciter

95.
citer dominium agnoscit præterquam solius Dei, quique jura
Majestatis, & legibus solutam potestatem haber.

47.

Summa potestas in hoc Monarcha apparet, quòd ab ipso judi-
cante non provocatur, ab aliis verò principibus, qui potestate
commissa utuntur, ad eum provocari potest. Deinde penes eum
est, novos Magistratus creare, officia eorum numero augere,
Jurisdictiones prorogare, vel restringere, quod alteri non lice-
ret: in summa alii omnes ab eo pendent, & ipsi subjiciuntur, ille
verò à nullo.

48.

Jura Majestatis etiam habet summus monarcha, quæ di-
stingui possunt in Jura dispensationis & jura obligationis: illa
sunt per quæ Princeps potest de iis quæ ad statum Reipub. perti-
nent, absolutè disponere. In Codice Justiniano tria Juris Maje-
statis constituuntur capita, jus sacrorum, jus boni publici, & jus
belli indicendi. Summatim loquendo, jus Majestatis est potestas
ordinandi, procurandi, & constituendi media illa omnia quæ
ad bonum publicum pertinent tam belli quàm pacis tempore.

49.

Jus Majestatis obligatorium est, quo subditos sibi ad sum-
mum honorem, obsequium & fidelitatem habet obstrictos, i-
ta ut legem universis ac singulis dare possit, neque tamen
id satis est, sed id fiat oportet sine superiorum aut æqualium,
aut inferiorum necessario consensu. *Bodinus lib. 1. de Repub.
capit. 10.*

50.

Ad jus Majestatis etiam pertinet beneficia, immunitates,
vacationes à muneribus, & omnia omninò privilegia dare posse,
nummum percutere, pondera & mensuras justas constituere, ve-
tigalia ac tributa imperare, bona publicare &c.

51.

Observandum obiter, Majestatem nec majore potestate,
nec tempore definiri: ex quo efficitur, nec dictatorem Romano-
rum, nec harmosten Lacedæmoniorum, nec Æsymnetem The-
salorum, nec Archonta Melitensium, jura Majestatis habuisse,

B 3

8

cum populari potestate uterentur. Sive igitur curationis in modum aliena potestate quis utatur, vel ad breve tempus, vel in perpetuum, is jura Majestatis non habet. *Bodinus lib. 1. cap. 8.*

52.

Hæc autem Majestas Principis ex duabus causis, altera aperta, altera occulta oritur. quod ad illam attinet, certum est, Deum personis Regum, Principum, & Magistratum secretam quandam Majestatem, sive auctoritatem addere.

53.

Aperta causa Majestatis Principum oritur ex moribus egregiis & præclaris Principis virtutibus, ut & ex forma regiminis prudenti & temperata, & denique ex felicitate & successu ejusdem: huic opponitur contemptus Principis, qui ex tribus causis oritur 1. ex vitiis Principis, 2. ex forma regiminis prava & nepta 3. ex infelicitate & infaustis successibus. *Keckermannus lib. 1. Politic. cap. 4.*

54.

Absoluto & summo monarchæ tandem competit potestas legibus soluta, quia si legibus teneretur illas, vel à subditis, vel à seipso, vel ab æquali, vel tandem à superiori acciperet. Non à subditis quia illorum est accipere, non dare leges. Non à seipso, quia nemo sibi imperare, nec seipsum cogere potest, non ab æquali, quia omne agens suo patiente superius, non par esse debet. Non denique à superiori quia talem cognoscit neminem, ergo à nullo, ac proinde legibus solvitur. Ideo Justinianus dum de legis observatione loquitur, omnibus à nobis dictis, inquit, Imperatoris fortuna excipiat, cui & ipsas leges Deus subjecit, & c. Rex, inquit Aristoteles, tanquam Deus aliquis legibus est immunis, & ridiculus esset ille qui illum legibus subicere vellet. *libro 3. Politico. cap. 13.* & Albericus Gentilis hoc ipsum confirmat, qui ait, illud supremiatis esse, ut nihil supra se unquam videat Princeps neque hominem neque legem. *Vide ejus questiones Regias.*

55.

Excipiuntur tamē leges naturales & divinæ, quibus instar aliorum hominum & civium obtemperare debet. deficere enim ab eo quod principatum maximè constituit, nempe à jure naturali, hoc non est potestatis, sed impotentia, & ut subditi Principis legem

gem non debent transgredi, ita nec Princeps sui Principis, ne-
pe Dei, leges transgredi debet. *Tholosanus lib. 9. de Repub. cap. 1.*

56.

Distinguuntur itaque leges in directivas & coactivas. Quo-
ad leges directivas, tãquam objecta justitiæ universalis, omnes il-
lis subjiciuntur, atque adeò etiam ipse Princeps, & hoc sensu ac-
cipienda sunt magnorum Imperatorum Theodosii & Valenti-
niani verba: digna est vox Majestate regnantis, legibus alligatum
se Principẽ profiteri. Quoad verò leges coactivas sive coercen-
tes Princeps est legibus solutus, nemo enim illi leges scribit, *Pli-
nius in Panegyrico ad Trajanum.* Et hæc de monarchia per-
fectiori.

57.

Imperfectior monarchia est, vel ratione potestatis, vel ra-
tione honoris & gradus principatus, vel ratione specialium pa-
ctorum, vel ratione mixtionis, vel denique ratione temporis.

58.

Ratione potestatis imperfectior est monarchia cũ Princeps
superiorem agnoscit, ita ut obedientiam ei debeat, vel ratione
gradus, cũ Princeps superiorem agnoscit ratione tituli alicujus,
vel ratione specialium pactorum, cũ Principi alicui specialia
quædam pacta intercedunt cum subditis, quæ quidem monar-
chiam restringunt, sed non tollunt. Vel ratione mixtionis, cũ
Princeps aliquis ditionẽ, seu Jurisdictionem in aliqua parte suæ
ditionis communem habet, vel denique ratione temporis, cũ
monarcha non habet perpetuum imperium, sed tantũ tem-
porarium.

59.

Datur etiam imperfectior monarchia ratione tributi alicu-
jus, cũ monarcha tributarius est. Et hæc de monarchia
tam perfectiori quàm imperfectiori, superest ut de eius opposi-
to agatur.

60.

Oppositum monarchiæ in specie est tyrannis, cũ impe-
rium est penes unum, qui spretã omni honestate, rebus alienis ut
suis, & liberis hominibus quasi mancipiis ad libidinem abutitur.
Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 4. & ideo meritò ab Aristotele imperio
heri

herili in seruos comparatur, qua comparatione videmus tyrannidem esse pessimum Reipublicæ vitium, quia optimæ formæ opponitur, regis scilicet, quæ ab eodem Aristotele imperio paterno in filios comparatur.

61.

Cæterum tyranni nomen olim splendidum & honestum, erat, & de eo dicebatur qui dominationem civibus invitis vel vi vel fraude corripuisset, tametsi moderatè & justè imperaret, ut testatur *Bodinus lib. 2. de Repub. cap. 4.* quin & ipse Jupiter tyrannus deorum vocatur. Ubi autem ejusmodi potestas conversa est in sævam, crudelem, immitem, superbam dominationem, & modus imperandi, & tyranni nomen odiosum populo evasit, itaque ut meliùs tyrannus à rege discernatur, utile est, discrimen tyranni à Rege breviter recitare.

62.

Primò igitur Rex secundum divinas & naturæ leges imperat, Tyrannus eas proculcat: ille religionem, justitiam & fidem, colit, iste impietate delectatur: ille commune bonum procurat, iste propriam utilitatem: ille clemens, iste sævit in subditos: ille castus, iste impudicus: ille amicitias, iste inimicitias inter subditos ferit: ille omnium amore pascitur, iste metu: ille pro patria mori honestissimum sibi ducit, iste pro se patriam interire cupit: ille suorum præfidiis, iste peregrinis utitur, ille & vivens & mortuus omnium laudibus cumulatur, iste vivens & mortuus fœdissimis contumelias laceratur. *Vide de his Junium Brutum, Tholosanum lib. 6. cap. 18. Lipsium lib. 6. Polit. cap. 6. & Bodinum lib. 2. cap. 3.*

63.

Tyrannus autem duplex est: Alius absque titulo, alius verò exercitio, ille est qui Rempub. sibi non commissam sine ullo justo titulo vel commissionis, vel electionis, aut vi aperta, aut malis artibus invadit: iste verò est, qui quidem legitimè est constitutus Princeps, sed tamen tyrannicè regit.

64.

Primus ante diluvium tyrannus, fuit Cain fraticida, filius Adami, qui fratri ob invidiam non pepercerat, multò minus natis ex Adamo, & eorum posteris: quin & eadem superbiâ illis dominari,

dominari & repugnantes opprimere, oppressosque & subactos
divexare institit. *Genes. cap. 4.*

65.

Post diluvium verò tyrannidem primus occupavit Nimrodus filius Chus, filii Cham, filii Noachi, sicut sacrae literae testantur, & cū de illo agitur, subjicitur, Chus genuit Nimrodū, ipse coepit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino, hominum extirpator, & ambitiosus oppressor. Talis etiam fuit Ninus & Chananæi, qui etsi inter suos, Reges vocarentur, in illos tamen, quos ultrò nec laceffiti invadebant, tyrannidem exercebant. Fuerunt etiam aliqui qui ambitiosè sub prætextu officiorum ipsis à populo traditorum Rempub. invaserunt, ut Julius Cæsar Romæ dictaturæ prætextu & alii fecerunt, quos omnes recitare nimis longum esset.

66.

Interim cautè animadvertendum, non protinus illum esse censendum tyrannum, qui in aliqua officii & regiminis sui parte labitur, aut aperiùs agit. Nam ut aliorum hominum lapsibus, ita in primis erroribus Principum ignoscendum est, ut ait Samuel. Vitium enim quod ab initio ipsis inerat potest emendari, & qui ab initio tyrannus erat, potest optimus Rex effici: nec qui aliquando invito populo aliquid imperat, statim tyrannus est vocandus, ut voluit Aristoteles, & ejus asseclæ. Nam si hoc verum esset, nullum esset regnum quod monarchiæ nomen haberet, quod enim pendet ex arbitrio populi, illud non regnum, sed democratia dici debet.

67.

Distinguendum est inter morosum difficilemque Principem & inter tyrannum. Nā sicut paterfamilias morosus & acerbus non est tyrannus vel lupo in domo: ita nec Princeps in Republica, qui per vim aliquando civibus imperat, statim tyrannus audiet, modò publici boni rationem habeat, licet talem vulgus tyrannum appellet: nec ob quævis vitia tyranni nomen quis meretur, quod illa tyranni naturam non constituent. Notæ autem veræ tyrannidis sunt istæ præcipuæ, quæ sequuntur.

68.

Cū Princeps jubet optimates & præcipuos sui regni ne-

C

cari, ne in eum insurgant, cum tamen ea de re nullam ei suspici-
onem dederint: cum opprimit bonos & sapientes, ne ejus vitam
redarguant: cum abolet bonarum scientiarum & artium studia,
ne sapientia discatur: cum congregationes honestas & licitas
prohibet: cum delatores ubique habet ad colligendum quae de se
dicuntur: cum discordias & simultates inter cives serit: cum
subditorum opes imminuit, subditosque bellis adversus vicinos
fatigat. De tyrannorum notis vide plura differentem Tholosa-
num lib. 6. cap. 18. Junium Brutum in Vindiciis contra Tyrannos. & haec
de tyrannide.

69.

Altera legitima Reipub. species vocatur à Philosopho A-
ristocratia, in qua aliquot excellentioribus & viris bonis datur
imperium in reliquos universos & singulos cives, qui quoniam
virtutibus praeter ceteris excellunt, dicuntur ἀριστοι optimi.

70.

Finis hujus formae est publica salus & commune bonum:
subjectum sunt pauci virtute praediti. Virtute namque impe-
randi jus potissimum aestimandum est, quod ejus tanta est pra-
stantia & dignitas, ut merito sit verus terminus, quo verum &
legitimum imperium circumscribitur & continetur.

71.

Quatuor Aristocratiae species enumerat philosophus,
quarum prima est, in qua solus virtutis habetur ratio: altera
in qua divitiae & nobilitas spectantur: tertia ubi virtus divitiae &
populi libertas spectatur: quarta ubi virtutis, bonorum virorum, & li-
bertatis populi habetur ratio in mandandis magistratibus. Pri-
ma species est pura Aristocratia, reliquae tres sunt mixtae, quia
virtuti adjungunt nobilitatem, & divitias, & libertatem. *Aristo-
teles lib. 4. Polit. cap. 7.* Sed, quod ad nobilitatem & opes attinet, il-
lae ad oligarchiam spectant, ac proinde statum Aristocraticum
non constituunt.

72.

Circa quem tria considerata veniunt, 1. ejus proprietate-
tes, 2. ejus distinctiones, 3. ejus opposita.

Huic

73.

Huic statui competit, ut optimates qui imperant, inter se consentiant, quia tamdiu legitima est hæc administratio, quamdiu illi inter se concordēs sunt, & administratio ad virtutem reducitur. itaque jus convocandi collegas ad consultandum, potestas suffragia proponendi & reliquorum sententias colligendi in unum collegarum transferri debet, vel semper, vel ut consultum erit, anniversariè.

74.

Optimates in hoc statu caveant, ne quicquam de iis quæ in consilio facta sunt, ad populum emanet, nec ullam rimam aperiant, qua quis possit in illorum potestatem illabi.

75.

Hæc forma Reipublicæ accommodatissima est ad conditionem & imbecillitatem naturæ humanæ, quæ sic est comparata, ut unus vix possit sustinere onus regiminis, vix idonea consilia ipse invenire: contra plures plura vident, & plurium optimorum virorum optima sunt consilia. Tantum de requisitis Aristocratia, de quibus plurius Keckermannus *lib. 2 Polit. cap. 2.*

76.

Distinguitur hic status in perfectiorem & imperfectiorem. perfectiorem iterum vel ratione eligentium, cum optimates ab optimatib. eliguntur, vel ratione electorum, cum in personis eligendis virtus præsertim spectatur, vel ratione potestatis, cum optimates indefinenter imperant, quamdiu vivunt.

77.

Imperfectior Aristocratia etiam est vel ratione eligentiū, cum potestas eligendi optimates est penes populum, vel ratione electorum cum præcipue in personis eligendis bona externa spectantur, nec tanta habetur ratio virtutis quam horum accidentium, vel ratione potestatis cum optimates superiorem aliquem agnoscunt, vel ratione temporis, in qua, vel singulis annis, vel bienniis novi optimates eliguntur.

78.

Hic tamen notandum consultissimum esse quotannis censuram optimatum institueri ne ii qui simulatione virtutis ad honores proceſſerunt, dilatare possint. Hoc observant Ro-

mani qui in decemvirali lege probrum in senatu non patiebantur, Lacedæmoniis hac in re prudentiores, quorum *ἀπίστος* semel lectos movere nulla censura poterat.

79.

Est & Aristocraticus status alius major, alius minor: ille cum totum aliquod regnum vel regio optimatibus paret, & ab ipsis regitur: iste cum tantum urbs aliqua sive aliquot pagi ab optimatibus reguntur.

80.

Quod ad Aristocratiam opposita attinet, illa sunt, vel ex parte optimatum, vel ex parte subditorum. Ex parte illorum labascit Respub. cum optimates inter se dissentiunt: deinde cum pauci ex illis, cæteris collegis exclusis, imperium evadunt, & pro sua cupiditate leges inflectunt, & ad reliquam multitudinem opprimendam conspirant. Keckermannus *lib. 2. Polit. cap. 2.* His autem reliqui optimates resistere debent, & si illi non sufficiant populus, delectis è suo numero præstantioribus, qui officium optimatum vicariè gerant, succurrere debet. *Tholosanus lib. 4. de Repub. cap. 5. & Althusius cap. 32. Politicorum.*

81.

Ex parte subditorum hic status turbatur cum populus Aristocratiam perturbans democraticum statum constituere vult. caveant igitur optimates ne populus instigatores nanciscatur ad perturbandum Aristocraticum statum, atque adeò si quidam perturbatores reperiantur, in hoc incumbant ut è medio tollantur, & graviter puniantur. & hucusque de Aristocratico statu: sequitur ut de ejus morbo proprio agamus.

82.

Aristocratiam morbus & vitium vulgò oligarchia vocatur, quæ est paucorum divitum imperium, qui omnia ad suam utilitatem referunt: ejusmodi fuit Athenis tyrannorum triginta, Romæ decemvirorum legibus ferendis, ac postea Triumvirorum Reipub. constituendæ, qui populi libertatem & Rempub. oppresserunt.

83.

Hic status ab Aristocratia differt, quòd in hac virtutis, in illo statu, Oligarchico nempe, divitiarum potissima ratio habetur

95.
tur, & sic non viri probi, sed divites & nobiles imperant. in Aristocratiâ publica utilitas: in Oligarchiâ verò privatam tantum imperantium bonum spectatur.

84.

Subjectum hujus status sunt pauci divites sive nobiles, qui quatenus nobilitate, divitiis & potètiâ ceteris sunt superiores, simpliciter superiores se esse arbitrantur, hinc jure sibi vindicare videtur imperiû, sibiq; omnia licere putant. Inde illiberales redditi erga meritos, & prodigi erga immeritos, in ea parte tanquã mercatores sordidi, Reipublicæ necessariû splendoré offuscant, exactionibusq; ac tributis sine necessaria causa Rempublicam sui commodi causâ vexant.

85.

Oligarchici status gradus à philosopho quatuor enumerantur, quorum primus est in quo mediocribus civibus patet ad magistratum aditus; alter in quo major census præfinitur, & electio fit per oligarchicos ex certis familiis ubi legum præscriptû viget: tertius ubi adhuc major census requiritur, & successio est hæreditaria, filii scilicet in locum patris; quartus ubi illis ad magistratus patet aditus qui maximas possident opes, & succeditur jure quodam hæreditario, & quia amicorum potentiam nimium valet, non tam secundum leges quàm ex suo arbitrio oligarchici Rempub. administrant, & hæc ultima species omnium deterrima est. *Aristot. lib. 4. Politicorum cap. 5. & 6.*

86.

Sciendum autem Aristotelem aliquando oligarchiam sumere pro imperfecta Aristocratiâ, in qua præter virtutem divitiarum etiam & nobilitatis ratio habetur, ut supra dictum est: aliquando verò pro imperio paucorum divitum, nulla habitâ virtutis ratione, & de hoc hîc loquimur.

87.

Cæterum status oligarchicus turbatur partim ex parte imperantiû, partim ex parte populi. Ex parte imperantiû quidè cû in primo casu pauci illi divites injuriâ afficiunt multitudinè cui dominantur, seditio nascitur, & tum maximè si ex numero paucorum divitum imperantium, dux unus sit, qui, fingens se fa-

vere multitudini, tyrannidem occupat armis à plebe sibi concessis.

88.

Ex parte populi oligarchia etiam turbatur, dum enim videt populus divites solos ad honores vocari, ab his ut divitias alant, pecunias à se extorqueri, patrimonia occupari, aculeos accipit, insurgit, & quos divitias suas pessimè extorsisse sibi putat, intrepidè aggreditur *Tholosanus lib. 5. de Repub. cap. 1.*

89.

Mutatur rursus hic status ex se ipso, idque dupliciter, 1. cum quidam ex divitibus illis qui principatum ambiunt ex numero paucorum sibi alios adjungunt & sic Reipublicæ imperium occupant, 2. quando illi qui sunt ex numero paucorum imperantiū vindicant sibi plebem, quod sæpe accidit, cum à plebe magistratus eliguntur, in quo casu nobilitas plebem colit ut suffragia promereatur *Idem dicto loco.*

90.

Tandem hujus status mutatio fit in bello & in pace. In bello quidem quando ipsi divites imperantes populo diffidentes conducto milite uti compelluntur, & qui militibus præficiunt sæpe tyrannidem invadunt: in pace verò diffidentia quam oligarchici de sociis concipiunt, hunc statum turbat quia sic tradunt custodiam conductis militibus, illisque virum aliquem præficiunt, qui ad neutram partem magis inclinare videatur: at iste plerumque utriusque partis dominus fit, & gubernationem sibi vindicat. Et hæc de Oligarchico statu.

91.

Tertia species Reipubl. legitima vocatur ab Aristotele ἡ πολιτεία specialiter sic dicta, & ab eodem definitur legitimum imperium populi ad communem utilitatem spectans *lib. 3. Politic. cap. 5.* Ab aliis verò definitur, modo imperium in quo populus per bonos, fortes, prudentes tribunos imperat, modo potestas cum multitudo civitatis administrationem confert ad commune bonum *Timperus lib. 5. Politicorum cap. 2. quest. 4.*

92.

Est autem hæc Reipub. forma mixtio quædam oligarchiæ & democratiæ, *Aristoteles lib. 4. cap. 3.* Committentur autem oligarchia

garchia & democratia (intellige improprie per simili-
tudinem quandam) tribus modis 1. cum ex utriusque for-
ma legibus & institutis quadam deliguntur, 2. quando medium
inter excessum & defectum utriusque formæ Reip. sumitur, 3. cū
pars aliqua ex lege oligarchica, pars etiam ex lege democratica
sumitur.

93.

Ex quatuor signis cognoscitur an illa commixtio sit tem-
perata 1. si mixtio ita sit facta ut dubitetur an illa forma sit oli-
garchica, an verò democratica. 2. si Respub. sic constituta utram-
que formam representet, secundum vero partes neutra possit
actu ab altera separari, ita ut ipsa Reipublicæ forma salva maneat.
3. si talis Respublica possit sine alienis & externis consiliis con-
servari salva. 4. si illa commixtione ejusmodi Reipublicæ for-
ma est effecta quam ipsi cives maximè amant, nec meliorem ali-
quam requirunt. *Aristoteles 4. Polit. cap 9.*

94.

Est & hæc Reipublicæ species accommodata ad politiam
in qua cives qui mediocres habent facultates superant reliquos
duos ordines civium vel utrosque simul vel alterutrum eorum.
tales autem ad bonam constituendam Rempublicam aptiores
sunt, quàm nimium pauperes, quia tempore belli possunt de suis
propriis sumptibus arma sumere, & pro patria pugnare, ne civi-
tas cogatur ipsis de publica pecunia stipendia solvere, *Idem 4. Po-
liticorum cap. 12.*

95.

Quin & bonæ Politix ut plurimum constant ex medio-
cribus civibus, qui suâ sorte contenti sunt & minùs laborant a-
pud ceteros cives invidiâ, neque sunt ambitiosi, ac proinde tales
politix minùs sunt mutationibus obnoxia.

96.

Interim tamen non omittendum, hunc statum mutari, cū
virtus, nobilitas, libertas, & divitiæ non sunt æqualiter inter se
mixtæ, sed unius magis quàm cæterarum ratio habetur, tunc e-
nim in eam formam degenerant ad quam magis inclinat. Unde
acc.

8

accidit ut ex πολιτεία specialiter sic dicta, fiat aut oligarchia, aut mala democratia, vel alia quædam Reipublicæ forma.

97.

Hæc Reipublicæ species mutatur in oligarchiam, cum tribuni plebis gratiam populi aucupantur, ut auctoritatem suam, in Republica hæc ratione augeant & confirmet, solent postea illi divites & nobiles populo, exosos reddere, unde fit ut divites metuentes ne aliquando ab imperita multitudine opprimantur, existiment satius esse prævenire quàm præveniri: con- spiratione igitur factâ dominatum & imperium civitatis ad se pertrahunt, atque hoc modo ex bonis democratiis oligarchias constituunt.

98.

Hic status in malam democratiam mutatur, cum præcipui magistratus per suffragia imperitæ multitudinis eliguntur, nullâ internorum bonorum habitâ ratione, quia sic per largitiones facilè quis potest suffragia emere, & sic ad istos honores pervenire.

99.

Seditiones civium hunc statum etiam turbant, sicut enim cives se ipsos perdunt, & aliunde potentiores advocant qui postea dominantur. Tholosanus libro 22. de Repub. cap. 3. Nimia etiam licentia à populo Magistratibus concessa, hanc formam mutat, Magistratus enim tyrannidem hoc modo occupant.

100.

Politiz speciali opponitur democratia sive status popularis qui à philosopho libro 3. Politicorum cap. 5. Imperium multorum omnia ad utilitatem pauperum referens definitur: ab aliis democratia definitur status in quo populus solus imperat, exclusis nobilibus & probis. Tholosanus lib. 5. de Rep. Ab aliis tandem popularis status definitur in quo cives universi, vel pars eorum maxima, cæteris omnibus universis & singulis secundum populi suffragia imperandi jus habet. Keckermannus lib. 2. Politic. cap. 8. Huic definitioni non dissentit Bodinus qui democratiam hanc definit, in qua populi pars maxima, seu viritim, seu centuriatim, seu tributim, seu curiatim suffragia ferantur, jura Majestatis habet.

bet *lib. 2. de Repub. cap. 7.* Populus autem tum divites tum patri-
tios, tum pauperes, tum plebeios complectitur. *Kirchnerus Dispu-*
tationes 5. de Republica.

101.

Hujus status popularis gradus à Philosopho quinque enumerā-
tur. 1. cum tam civibus, quam peregrinis patet aditus ad Magistratū,
ut secundum leges Rempubl. administrant, & illud ratum ha-
beat quod pluribus secundum leges placuerit. 2. Ubi censum
legibus præfinitum habentibus licet Magistratum capessere.
3. Ubi illis qui nulla macula aut ignominia sunt notati, ad hono-
res publicos patet aditus. 4. Ubi veris civibus patet ad Rempub.
aditus, ea tamen conditione ut legum summa sit autoritas.
5. Ubi omnibus sine discrimine patet ad magistratum aditus, om-
nisque potestas tantum pendet ex voluntate promiscuæ multi-
tudinis. *Arist. 4. Polit. cap. 4.*

102.

In hoc autem populari statu omnes omnibus æquantur,
nec aliter parere volunt, quam ut imperent vicissim iis quibus pa-
ruerunt. populare etiam est omnes secundum numerum censeri,
vult & populus timeri & instar Monarchæ haberi. populari
statui competit omnes ex omnibus ad magistratus sumi, ac præ-
esse omnes unicuique & unumquemque vicissim omnibus *Tho-*
losanus lib. 5. de Republica cap. 2. Danaus 6. Politicorum cap. 5. ac tan-
dem posse superioribus comitiis, consiliisq; interesse, & judicare,
Keckermannus lib. 2. Polit. cap. 3.

103.

Inter arcana instituta democratiæ numerandum est, quod
conventus & collegia debeant esse crebra, ut sic concordia fo-
veatur. *Bodin. lib. 3. de Rep. cap. 7.* Deinde ut magistratus tantum
semel ab aliquo gerantur & quidem tempore non longo exce-
pro tempore Reipublicæ turbatæ *Danaus lib. 6. Politic. cap. 5.* ut
Magistratus alii per sortem alii per electionem fiant, *Tholosanus*
lib. 5. cap. 2. Ne pœna publicationis bonorum obtineat, ne sic ex-
hauriantur vires popularium. *Idem dicto loco, & hac de democra-*
tis proprietatibus.

104.

Status popularis dividitur in minorem & majorem. Ille
D

est cum tantum urbs aliqua vel oppida & pagi aliquot: iste vero cum tota aliqua provincia democraticè regitur.

105.

Est & democraticus status, alius laxior, alius verò restrictior, ille iterum est in quo oportet omnes simpliciter & promiscuè ad magistratus evehere. Iste, restrictior nempe, est in quo quidem ex omni ordine civium magistratus eliguntur, sed tamen in isto ordine ratio habetur personarum magis ad regimen idonearum, ita ut hæc reliquis assentientibus præferantur, & ad magistratus evehantur, & assumantur, & de hoc statu supra actum est.

106.

Ad opposita democratix quod attinet, illa sunt vel in genere, vel in specie. in genere huic statui opponitur quod fit mutationibus omnium magis obnoxius. *Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 1.*

107.

In specie oppositum democratix consideratur vel ex parte magistratus, vel ex parte subditorum: turbant hunc statum, magistratus, cum illi qui pro tempore regunt monarchiam vel aristocratiam vel oligarchiam affectant, prosperè etiam res à magistratibus & administratoribus gestæ, aliquando populum inducunt ad mutandam Reipublicæ formam. *Tholosanus lib. 22. cap. 2.*

108.

Ex parte populi mutatur hic status, cum universus populus non amplius vult deputare certos qui magistratum gerant, sed omnes simul volunt regere, nemine parente: populus autem iste absque justitia imperans jam populus non est, sed quavis immani fera crudelior. hæc ochlocratia statim importat Anarchiam, ac tam vitiosus est hic status quam nullus, ut inquit Cicero. Et hæc de natura & statu Rerum publicarum tam legitimo quam vitioso breviter & in genere dicta sint. non enim mihi propositum fuerat specialiter de singulis Reipublicæ partibus, requisitis, & proprietatibus, hac præfenti disputatione agere, sed quid factum in posterum fuerit dabit

tempus.

Quæstio.

*Quaestiones quaedam Politicae exercitii gratiâ
à Respondente in medium proposita.*

1.

An in statu innocentiae Politiae sive societates viguis-
sent hoc ipsum affirmo.

2.

An foeminae à Republicae administratione sint planè
excludendae Respondeo, si quae inveniantur præ-
claris & excellentibus donis à Deo ornatae, illas,
(si masculi ad hoc idonei desint) non esse ab im-
perio excludendas.


3.

An monarchia sit præferenda aliis Rerum publicarum
administrationibus. I istinctione res opus habet.

4.

Num licitè tyrannus à quolibet impunè necari possit.
Disting.

Τῶ ὀλέθῳ μὲν ἢ δόξῃ καὶ ἢ τιμῇ.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]




Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

WMA







...ITICA
 27
 A ET
 IPU.
 16261
 L,
 NTE ET
 MINE,
 O
 i Viri,
 Æ BER-
 IARUM IN
 um Univer-
 is,
 & defenden-
 T ETUS
 T I,
 anus Glaferus,
 phus.
 VI.

9

8

